


ASSERTIONES THEOLOGICÆ





ASSERTIONES THEOLOGICÆ

Iuxta miram Angelici Præceptoris Doctrinam

Quas in Comitijs Prouincialibus Romanæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum Florentiæ in Almo S. Mariæ Nouellæ Conuentu, cælebratis defendendas Proponit.

Fr. Ioannes Dominicus Leonius Florentinus eiusdem Ord. eiusdemq; Prouinciȩ in Generali studio, Studens Formalis.


SVB AVSPICIIS

Sereniſſimi Principis, ac Domini

D. CAESARIS BORBONII

Ducis de Vendoſme, de Beaufort, d'Eſtampes, de Mercœur, & de Peintieure, Principis d'Anet, Inſulæq; de Martigues Paris Galliæ

Pro Criſtianiſſimo Rege in tota Britanniæ Ditione, cum ſumma rei maritimæ Oceanum ad Armoricum præfectura, Proregis &c.



FLORENTIÆ, Typis Landij de Landis, & Io: Antonij de Bonardis. 1647.

Superiorum Permiſſum.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ

Iuxta miram Angelici Præceptoris Doctrinam

... Prouincialibus Romanæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum Florentiæ in ... S. Mariæ Nouæ de ... celebratis defendendas Proponit.

Fr. Ioannes Dominicus Leonius Florentinus eiusdem Ord. eiusdemq; Prouinciæ in Generali studio, Studens Formalis.

SVB AVSPICIIS

Serenissimi Principis, ac Domini

D. CAESARIS BORBONII

Ducis de Vendosme, de Beaufort, d'Estampes, de Mercœur, & de Peintieure, Principis ..., Insuperq; de Martigues ... Galliæ

Pro Christianissimo Rege in tota Britanniæ Ditione, cum summa ... Oceanum ad ... prefecturam, Prorregis &c.

[illegible] ... Anno ... [illegible]

SERENISSIME PRINCEPS.

SApientiæ lilium in meæ inſcitiæ conualle ſaturus (PRINCEPS SERENISSIME) ad tutiſſimam liliorum tuorum Vmbram, venerabundus accedo, ſupplex recurro. Audax quidem, meæ videbitur temeritatis confidentia, tam humili munuſculo tantum reuereri, an faſtidire dicam hæreo, Principem. Sed ſapientiæ ſceptrum veneraturus filiorum ſtegma, iuxta Prudentij ductum, conſultò ſuſpexi. Nec alia ſapientiæ ſceptrum congruentius vmquam lilia ornauere, quã, quæ Florentiam tranſlata, eò ſe comodius, ſapientiæ ſtudio, operam credidere datura quò ſapientiæ in Domicilio (Hetruſca, in quam in Aula) Gallis poſthabitis pro otio Florentino, bellis, pacatius quieuerunt. Quin inſuper ſupplicem decuit, lilia reuereri Leonem, vt ex Leonum erroribus exorta profligatoris, cum relictis Iunonis vberibus, effuſoq; lacte, Cælis Galaxiam, telluri peperit lilium, Leonum modo, vel etiã ſolo nomine talium, aſpiciant obſequia, qui-

ab eo suæ mortis sunt assueti cognoscere pænam, cuius ex culpa, ortum, lilia traxere. Lilia deniq; tua venerari debui (HEROS GLORIOSISSIME) vt si Angelici mei Præceptoris Dogmata ex Ingenij mei Petra, Thomisticæ sapientiæ mel, oleumq; doctrinæ de saxo hoc durissimo, produxerint, aut dulce quid ex meo, velut ex Sansonis Leone, proderit ore, id totum ex Serenissimis Galliarum lilijs, Thomisticæ dulcedinis Apem, deprompsisse, demonstrem. Haud enim aliundè, quam ex celeberrimis, Parisiorum Gimnasijs, Angelicus Doctor noster Aquinas, prima scientiæ suæ hausit principia, cum Parisiensis Academiæ sapientiam, Domesticę nobilitatis sedibus prætulit, ac Regnis, nihilq; in conspectu eius, paternas duxit esse diuitias. Gallicis ergò ex lilijs ab Ape deprompta Aquinate dulcedo, in ore Leonis, quocumq; reperiatur modo, Gallicis itidem lilijs, meritò debebatur. Reliquum est (PRINCEPS SERENISSIME) vt quemadmodum Regia tua maiestate, Gallus me terruisti Leonem, ita mei exiguitatem

munuſculi, tuà benignitate non rèſpuere, meiq; imbecillitatem Ingenij, tua protectione tueri, digneris. Quod, dum ex tua mihi Clementia polliceor, faxit Deus, vt eò candidior tibi mea compareat deuotio, quo tuorum eſſe proximior liliorum cãdori exoptat, vtq; eò tibi ſublimius fælicitatis contingat, numine aſpirante faſtigium, quò excelſior virtutũ, meritorumq; tuorum, ſupereminet Celſitudo. Vale verè CAESAR Opt. Max. meæq; Confidentiæ aſpirans, audaciæ (quæſo) condona.

Celſitudinis tuæ Sereniſſimæ.

Deditiſſ. & Obſequentiſſ. Serui.

F. Ioannes Dominicus Leonius.

1 NECESSARIAM præter physicas Disciplinas aliam Doctrinam reuelatam, qua Deum vt finem nostrum vltimum cognoscere possimus, cum Angelico nostro Præceptore, affirmamus.

2 Huius nomine Doctrinæ, nec fidem infusam, nec Doctrinam à fide, & Theologia abstrahentem, nec ex vtraq; Conflatum, sed ipsam Sacram Theologiã, realiter à fide distinctam, apud eundem Angelicum Doctorem, intelligendam existimamus.

3 Quoniam verò, nec inter Thomistas desunt, qui hoc idem diuersimodè interpretentur, Conclusionis veritatem, ita iuxta diuersas explicationes intelligendam esse decernimus, vt de fide, & de Doctrina à fide, & Theologia abstrahente, simpliciter, & absolutè, atq; in vnoquoq; homine ad salutem necessaria esse, verificetur.

4 Doctrina verò realiter à fide distincta, nullatenus est in vnoquoq; homine simpliciter necessaria. Est tamen necessaria simpliciter in Ecclesia, si intelligatur Theologia expositiua, dogmatica, vel moralis, non verò Scholastica, quam non simpliciter, & absolute necessariam, sed vtilem dumtaxat, asserimus.

5 De toto etiam conflato, simpliciter, & absolutè necessarium esse in Ecclesia, verificatur, licet non in vnoquoq; homine, nisi cum addito, scilicet quo ad vnam partem, nempè fidem.

6 Est autem sacra Theologia etiam pro vt in nobis viatoribus, verè, & essentialiter scientia.

7 Ac

7 Ac scientię Dei, & Beatorum, subalternatur.

8 Eius ratio formalis est Diuina reuelatio non quidem clara, aut obscura, sed abstrahens, non tamen ex æquo sed ita vt claritatem per se petat, obscuritatem verò, per accidens dumtaxat, includat.

9 Qua propter cum habeat vnam rationem formalem, est vna scientia,

10 Per illam autem rationem formalem, quam illi assignamus, optimè distinguitur à Prophetia & fide; atq; etiam à Sapientia, & scientia, quæ sunt dona S. Spiritus.

11 Comprehendit altiori modo speculatiuum, & practicum, atque ita est simul practica, & speculatiua, licet sit principalius speculatiua.

12 In quantum est speculatiua, quamcumq; aliam scientiam speculatiuam in dignitate excedit, tum quia nobilius habet obiectum, tum etiam quia absolutè, & sine vlla limitatione, quacumq; alia scientia certior est.

13 Similiter etiam in quantum practica dignior est alijs scientijs practicis, cum ipsius finis, aliarum finibus, (vt potè ad ipsum vltimatè ordinatis) præstet.

14 Ne dum verò inter scientias, verum & inter sapientias humanas, principem sibi vendicat locum, est enim sapientia, non in aliquo dumtaxat genere, sed simpliciter.

15 Eius subiectum est Deus sub ratione Deitatis.

16 Quod quidem non tanquam de obiecto principali dumtaxat, sed tanquam de adæquato, asserendum existimamus.

17. Nec

17 Nec tamen sibi idcircò contrarium Angelicum putamus præceptorem, quod videlicet in sententijs, Deum principale dumtaxat non adæquatum Theologiæ obiectum asseruerit, hoc ens Diuinum per inspirationem cognoscibile decernens esse, ibi nanq; de adæquato extensionis, vel prædicationis obiecto sermo erat, hic verò de obiecto adæquato attributionis, determinat. Quapropter vtrobiq; verum, nusquam sibi contrarius proposuit.

18 Licet autem sua probare principia sacræ Theologię sit denegatum, si de directa illorum per naturalem rationem ostensione sit sermo, illa tamen Credibilia, ac per consequens nullatenus impossibilia esse, euidenter ostendit.

19 Ex illis porrò principijs sola fide creditis, per Theologicum discursum, multas demonstrat Theologus conclusiones, seu veritates Theologicas. Imò (si aliquid aduersarius concedat) ad principia etiam, seu fidei articulos, procedere potest probandos. Quod si nihil omninò concesserit, nihil prorsus probare, sed ad eius tantummodo argumenta, seu sophismata, poterit respondere.

20 Conuenientissimè vtitur scriptura sacra metaphoris, sub eademq; littera plures sensus, ne dum spiritualem, & litteralem, sed & plures litterales continere potest. Quorum optimè probat vtrunq; Sanctissimus Præceptor.

DE DEO, AN DEVS SIT.

21 Estò secundum se, Deum esse notissimum sit; quo ad nos tamen, Deum esse, nō est per se notum.

22 Ac

22 Ac per consequens optimè possumus Dei existentiam, licet non a priori, & per causam, à posteriori, & per effectus ostendere.

23 Est autem ita facile, huiusmodi veritatem ex effectibus colligere Creatis, vt nulla dari possit de Dei existentia in rationabili Creatura inuincibilis ignorantia, atq; idcircò quamcunq; de Deo ignorantiam læthaliter culpabilem, omninoq; inexcusabilem existimamus.

24 Huiusmodi porrò Dei existentiam, efficacissimè, ac demonstratiuè, quinq; argumentis ostendit Angelicus noster Præceptor.

DE DEI SIMPLICITATE.

25 DEum nullo pacto esse corpus, omninò asserendum est.

26 Quod determinans Angelicus Præceptor, nomine corporis non intelligit rem prædicamenti Quantitatis, sed rem prædicamenti substantię: neq; vt includit alias perfectiones huiusmodi substantiæ competẽtes, neq; vt illas excludit, sed vt abstrahit ab vtroq.

27 Optime Deũ non esse corpus, ex eo probatur, quod mouet non motus, quod nulli corpori (si bene, & ad mẽtem D. Thomæ intelligatur) cõpetere potest.

28 Duæ etiam aliæ rationes quibus idipsum probat S. Thomas, optimę sunt, atq; efficacissimę.

29 Quapropter tertiam præcipuè defendentes, asserimus omne corpus viuum simpliciter, & absolutè quocumq; non viuente perfectius esse, licet secundum quid, seu in aliqua speciali ratione, aliquod

non viuens putà Cælum, possit esse perfectius aliquo viuente, v. g. formica.

30 Talem autem in Deo simplicitatem, censemus ponendam, vt omnem ex materia, & forma compositionem, excludat.

31 Suppositum quoq; Diuinum, quomodocunq; accipiatur, omnino cum natura Diuina identificatur, nullaq; inter hæc realis intercedit distinctio, licet secundum rationem distinguantur inter se.

32 Si verò de Creato supposito sermo sit, hoc, aliquid reale, realiter distinctum, supra Creatam naturam superaddere, & non solam negationē, autumamus.

33 Quod quidem, non de materialibus tantum, & corporeis affirmamus, sed etiam de incorporeis, & Immaterialibus.

34 Essentia quoq; Dei nullo pacto aliud est ab eius existentia, sed omninò idem realiter cum illa.

35 Neq; etiam potest Deus in genere aliquo, siue propriè, siue impropriè, collocari.

36 Nulla similiter in ipso reperiuntur accidentia.

37 Atq; ita, Deum omninò simplicem esse, affirmamus

38 In aliorum quoq; compositionum venire Deus nequit, idq; nullatenus, hypostathicę Humanitatis Cristi cum Verbo Diuino vnioni, contrariatur.

39 Diuina quoq; attributa ita identificantur inter se, atq; cum Diuina essentia, vt quamcunq: distinctionem, antecedenter ad Intellectus operationem existentem, siue realem entitatiuā, siue realem formalē, aut ex natura rei (vt excogitat Scotus) excludtā.

40 Distinctionem tamen rationis ratiocinatę inter Diuina prædicata, seu attributa ponendam, asserimus.

DE

41 CVm Deus secundum se maximè sit in actu, maximè etiam secundum se cognoscibilis est, non verò quo ad nos.

42 Eius tamen essentia ab Intellectu Creato, absolutè videri potest.

43 Ac per consequens licet respectu Creatæ potentiæ sit Deus obiectum nullo pacto proportionatum, continetur tamen intra limites eius obiecti adæquati, extensiui, atq; specificatiui.

44 Ex hoc tamen non sequitur, quod detur in Intellectu Creato naturalis appetitus, siue naturalis, siue elicitus in ordine ad claram Dei visionem.

45 Quod tamen de appetitu efficaci Intellectum volumus si enim de inefficaci sermo sit, dicimus Intellectum lumine fidei illustratum, posse claram Dei visionem, naturaliter appetere.

46 Licet ex parte Intellectus nostri, Diuinam intuentis naturam, aliqua requiratur Dei similitudo, qua Intellectus fiat efficax ad videndum Deum: ex parte tamen rei visæ, ne dum non requiritur, sed nec dari potest Creata Dei similitudo, ipsum intellectui representans.

47 Itaq; in visione beata, nulla datur species creata Deum quidditatiuè representans, nec dari potest etiam in ordine ad Diuinam omnipotentiam absolutam, sed ipsamet Diuina essentia visa ab intellectu beato, illi per modum speciei vnitur.

48 Impossibile est Diuinam essentiam oculis corporeis, vel alio quocumq; sensu, attingere.

49 Imò nec intellectus ipse Deum per sua naturalia videre potest.
50 Quòd ita creati intellectus naturæ; repugnat, vt impossibile omninò sit, dari creatum intellectum, cui sit connaturale lumen Gloriæ, aut visio Beatifica.
51 Cum ergò creatus intellectus in Dei visione eleuetur ad esse quoddam, suam longe superexcellens naturam, aliquo creato lumine necessariò indiget, quo veluti dispositione quadam, ad tantam extollatur sublimitatem, ad quam, sine tali lumine impossibile omninò est in ordine ad quamcumq; potentiam, ipsum eleuari.
52 Ab hoc autem lumine Gloriæ, tota beatificæ visionis vitalitas, seu virtus actiua proxima dependet, remotam dumtaxat, intellectu, secundum suam innatam virtutem considerato, præstante.
53 Ideoq; omnis inæqualitas inter beatorum visiones reperta (in Cælestinamq; illa domo mansiones multę sunt, differtq; stella à stella in claritate) in Glorię lumen, necessariò refundi debet.
54 Atq; ita ex duobus intellectibus ęquali lumine illustratis, etiam si vnus alterum in naturalibus longè præcellat, perfectiorem nihilominus elicere visionem nequibit, nisi perfectiori perfundantur lumine.
55 Hoc tamen lumen, cum finitum sit, atq; creatum, ad comprehendendam Diuinam essentiam, nullo modo sufficiens est, sed ad quidditatiuè tantum attingendam.
56 Imò nec creari potest lumen ita perfectum, quo possit

possit creatus intellectus Deum comprehendere.
57 Nedum verò Diuinam essentiam, sed & creaturas aliquas, plures, aut pauciores secundum maiorem, vel minorem luminis intentionem, seu perfectionem, in Diuina essentia, non tamen omnes, conspiciunt beati.
58 Hoc tamen de lege dumtaxat ordinaria intelligi volumus, non enim alias implicat beatum videre in Deo omnes creaturas, quæ sunt, fuerunt, & erunt. Licet repugnet videre omnes possibiles, quas omnes collectiuè sumptas cum Diuinæ omnipotentię comprehensionem inferant, nullus potest creatus intellectus, etiam per absolutam Dei potentiam videre, licet possit videre aliquas.
59 Attributa porrò omnia, quilibet videt beatus, nec ex illis vnum sine alio, per quamcumq; potentiam videre potest. Sicut nec vnam personam sine alia, nec essentiam sine personis.
60 Hæc tandem omnia, quæ vident in Diuina essentia beati, cum non per diuersas species, aut similitudines cognoscant, sed per ipsam Diuinam essentiam, simul, & absq; vlla successione, perenniter intuentur.

DE SCIENTIA DEI.

61 VEre, & propriè datur in Deo scientia, quæ non eminenter solum, aut virtualiter, sed formaliter est talis.
62 Per hanc verò scientiam, essentiam suam secundũ se consideratam nullatenus cognoscere potest, cum

hęc

hæc per nullam causam siue formalem, siue virtualem (vt potè illa carens) cognosci queat.

63 De attributis verò habet scientiam propriè dictam quatenus cognoscit illa secundum quod ex modo, quo à nobis cognoscuntur habent in ipso *Deo* aliquam causam virtualem, per quam cognoscantur.

64 Similiter & entia quęcumq; creata, siue necessaria illa sint, siue contingentia, aut libera, a *Deo* scientificè cognosci, asserimus.

65 Hęc porrò Dei scientia eius attributum omninò, dicenda est, indiuisum quidem in se, ita vt non multiplicetur iuxta numerum nostrarum scientiarum, sed diuisum ab omnibus alijs attributis correspondentibus alijs pluribus virtutibus intellectualibus: nisi forsan vnicum sapientiæ attributum velimus excipere.

66 Primarium Diuinæ intellectionis obiectum, est ipsamet *Diuina* essentia, non vt precise dicit ea dũtaxat, quę notionalia pręcedunt in *Deo*, sed vt omnia complectitur, quæ formaliter sunt in illo, tam absoluta, quam relatiua.

67 Itaque Relationes, & attributa, nullo pacto ad obiectum secundarium, sed omninò ad primarium, & immediatum spectant.

68 *Dei* cognitio cum eius essentia omninò realiter identificatur, eiusdemq; essentiæ perfectissimo modo comprehensiua est.

69 Ne dum autem se ipsum, verum & alia à se, cognoscit in seipso *Diuinus* intellectus, tanquam in causa: & ex vi talis cognitionis attingit etiam creaturas secundum esse, quod habent in se ipsis, quę

hoc

hoc modo consideratæ, spectant ad obiectum secundarium.

70 Nec sequitur ex hoc, dari in Deo cognitionem discursiuam, secundarium namq; obiectum in primo cognoscit, non ex primo.

DE IDEIS.

71 IDeas omninò in mente Diuina adstruendas, iuxtà comunem Theologorum sententiam, asserimus.

72 Est autem Idea in comuni forma imitabilis, ad quam respiciens artifex, operatur.

73 Diuina autem Idea non consistit in ipsis creaturis producendis, secundum esse diminutum, quod habent ab æterno, sed in ipsa Dei essentia, non quidem quatenus præhabet in se omnes creaturarum perfectiones, neq; vt cognoscitur ab ipso Deo vt præhanens easdem, sed prout cognoscitur ab intellectu Diuino vt diuersimodè imitabilis, & participabilis à quacumq; creatura in particulari.

74 Hinc patet necessitas ponendi in Deo multiplicitatem Idearum, cum diuersi specie effectus ab ipso procedant.

75 Ex hoc tamen non sequitur multiplicari in Deo Ideas in ratione attributi, quo pacto vnicum tantum constituunt attributum, sed tantum in ratione Ideæ, sic enim plurificantur.

76 In ratione verò causæ, multiplicantur quidem Ideę, sed eminenter tantum, non formaliter.

77 Respectu purè possibilium, habet Deus Ideam, non solum vt est ratio cognoscendi, sed etiam vt est ratio operandi.

78 Respe.

78 Respectu verò mali, si sit malum in omni genere, nullo pacto habere potest propriam in Diuina mente Ideam. Si verò sit malum in aliquo genere habebit illam si sit malum Pęnę, non verò si sit malum Culpæ.

79 Anima nostra rationalis habet procul dubio propriam Ideam; ceteræ autem formę substantiales, si connaturaliter producantur, illam non habent propriam, sed habent tantum, Ideam compositi, quod informant.

80 Si verò non connaturali modo, sed supernaturaliter per absolutam Dei potentiam producerentur, non implicat, quod habeant propriam Ideam.

81 Materia prima habet propriam Ideam, vt Idea est ratio cognoscendi, sed non vt est ratio operandi.

82 Indiuiduum autē naturę materialis, habet vtroq; modo propriam Ideam, ne dum videlicet vt est ratio cognoscendi, sed etiam vt est ratio operandi.

83 Gradus specificus, & indiuidualis habent propriā Ideam in ratione principij cognoscendi distinctam, at verò in ratione principij operandi, eandem.

84 Accidentia tam propria, quam comunia, habent propriam Ideam vt est principium cognoscendi, vt verò est principium operandi: accidentia propria si fiant modo connaturali non habent propriam Ideam, sed cognoscuntur per Ideam essentiæ, à qua dimanant, si autem fiant modo supernaturali, habebunt propriam Ideam; accidentia verò comunia semper habent propriam Ideam, tam vt est principium cognoscendi, quam vt est principium operandi.

85 Modi

85 Modi finitatis, limitationis, dependentię, & similes in ratione purę negationis, nullam habent Ideam si verò sumantur in concreto, habent Ideam perfectionis, quam modificant.

DE TRINITATE.

86. Licet Sacratissimi abditissimiq; Trinitatis misterij cognitio, humani Intellectus imbecillitatē excedat, nullam tamen implicare contradictionem, contra quoscunq; Hæreticos, substinere, intēdimus.

87 Sunt ergò necessario admictēdæ processiones in Diuinis, quæ non Immediatè a natura, sed medio Intellectu, aut Voluntate oriri, fatendum est.

88 Imò ita sunt ab Intellectu, & Voluntate, vt veram, ac formalem actionis rationem sortiantur, non vero sint puræ emanationes.

89 Dicere in Patre non est actio distincta ab intelligere, nec realiter, nec ex natura rei, sed est ipsum intelligere essentiale, modificatum per relationem Paternitatis: sicut etiam similiter, spirare nil aliud est, quam ipsum velle modificatum per relationem spirationis actiuæ.

90 Ex Diuinis processionibus, sola Diuini Verbi processio, generationis rationem sortitur, non verò processio Spiritus Sancti, idque efficacissimè probat Angelicus Præceptor.

91 Diuinæ relationes nullo pacto distinguuntur ante opus Intellectus ab essentia Diuina: nec realiter, nec modaliter, nec ex natura rei, sed solum ratione ratiocinata.

92 Imò ita cum Diuina essentia identificantur, vt & hæc de illarum essentiali conceptu, & illæ de essentiali conceptu Diuinæ essentiæ, sint.

93 Ad inuicem tamen Diuinæ relationes realiter distinguuntur, licet non ab essentia.

94 Sunt autem istæ relationes tantummodò quatuor, nimirum Paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

95 Ad istarum porrò multiplicationem relationum, nullo modo multiplicantur prædicata absoluta, vt essentia, omnipotentia, voluntas, & huiusmodi, quæ omninò indiuisa remanent.

96 Ratio perfectionis non multiplicatur in Diuinis, sed omninò remanet indiuisa, secus verò de subsistentia, & personalitate, dicendum, putamus.

97 Existentia similiter vnica, & absoluta est in Deo, & nullo modo multiplex, & relatiua.

98 Idem asserimus de bonitate, sanctitate, infinitate, imò etiam de veritate transcendentali, quę omnia cum non fundentur in oppositione relatiua, indiuisa similiter manent.

99 Multa nihilominus multiplicantur in Diuinis prędicata: & in primis multiplicatur ratio entis realis, res, aliquid, & vnitas.

100 Ratio substantiæ si sumatur prout dicit essentiam non multiplicatur, bene tamen vt dicit hypostasim, seu suppositum.

101 Si verò accipiatur quatenus dicit pręcisè ens per se, probabilius asserimus non multiplicari.

102 Optimè personam definiuit Angelicus pręceptor, dicens, esse rationalis naturæ, indiuiduam substantiam.

103 Hancq;

103 Hancq; verè, & propriè in *Deo* ponendam esse, optimè, & efficaciter ex Diuinę perfectione naturæ argumentatus est.

104 Huius verò Diuinæ personę adęquatum, & formale constitutiuum, per rationem Diuinæ essentię, nequaquam explicari potest. Nec per secundam Intentionem Indiuidui, nec per aliquid negatiuum, sed per ipsam Diuinam relationem, non quidem formaliter, & vt habet exercitium respiciendi terminum importatam, sed materialiter, & quatenus est per se subsistens, seu per modum hypostasis.

105 Hoc autem significatum formale huius nominis Persona Diuinà, dicit necessariò essentiale superioritatem, seu Comunitatem, respectu relationum Diuinarum Personarum, ac de illis tanquam superius de inferiori, essentialiter prædicatur.

106 Et hæc Comunitas nec est absolutè, & simpliciter vniuoca, aut ęquiuoca, sed habet quendam modum vtriusq;

107 Pręter tres subsistentias relatiuas, quas ponere in *Deo* docet Catholica fides, ponendam etiam censemus subsistantiam absolutam, qua antecedenter ad Diuinas relationes, intelligitur natura Diuina vt per se subsistens.

108 Diuinas Personas in Deo plurificari, ac tres esse, non plures, nec pauciores de fide est.

109 Et licet quatuor admictamus relationes, quatuor tamen res relatiuas, nequaquam admictendas esse, defendemus.

110 Numerus in Diuinis repertus, trascendentalis est, & nullo modo prędicamentalis.

111 Hoc nomen Persona respectu trium Diuinarum Personarum comune quidem est, sed non ad modum speciei, vel generis, sed potius ad modum Indiuidui Vagi.

112 Hęc autem Diuinarū Trinitas Personarum, nullo modo ex effectibus Creatis, vt Dei effectus sunt, cognosci valet, ne dum quidditatiuè, sed nec etiam euidenter quo ad An est.

113 Sunt in Diuinis admictendæ notiones quibus tamquam rationibus cognoscendi, Diuinę innotescunt Personę, & hę quinq; sunt .s Innascibilitas, Paternitas, filiatio, comunis spiratio, & processio.

114 Nomina etiam abstracta, & concreta, in Deo ponimus, sed nostro dumtaxat modo intelligendi diuersa, non verò realiter.

DE ANGELIS.

115 Angelos in primis, seu substantias quasdam omninò spirituales, atq; immateriales dari in vniuerso, certum esse, & scriptura sacra docet, & rationes quam plures ostendunt.

116 Sunt autem spirituales istę substantię corporis omninò expertes, omninoq; incorporei, cuius oppositum, licet non sit hæreticum, valde tamen improbabile est, Imò etiam erroneum, ac temerarium, vtpotè comuni Sanctorum Patrum, & Conciliorum sententiæ aduersum.

117 Nec etiam compositi sunt ex forma, & materia spirituali, sed, quo ad hoc, omninò simplices.

118 Nec tamen Diuinæ simplicitati æquiparandi: plu-

res namq; includunt compoſitiones.
119 Componuntur enim realiter ex ſubſtantia, & accidente, ex eſſe, & eſſentia, & ex natura, & ſuppoſito. Ac multò magis ex genere, & differentia, ideoq; actus puri, dici nequeunt.
120 Sunt autem in magno numero Creati a Deo, idque ex eosum perfectione colligitur.
121 Et quamuis nulla ſacræ ſcripturę teſtimonia, vel Conciliorum authoritates eorum numerum definiant, probabile tamen exiſtimamus, excedere numerum omnium ſpecierum rerum materialium, licet non indiuiduorum.
122 Sunt autem natura ſua prorſus incorruptibiles, quod ſi de rigurosa corruptione ſit ſermo, eos, vt potè materiei expertes, per quamcumq; potentiam corrumpi, repugnat.
123 Si verò de quacumq; deſitione ſit ſermo, eos quidem poſſe à Deo annihilari certum eſt, negamus tamen, dari in illis naturalem potentiam ad deſinendum per talem annihilationem.
124 Omnis differentia inter Angelicas ſubſtantias reperta formalis eſt, ac proinde ſpecifica, & nullo modo materialis, aut numerica.
125 Quare optimè ex Angelorum immaterialitate colligunt Thomiſtæ nullo modo dari, imò nec per abſolutam Dei potentiam dari poſſe plures Angelos intra eandem ſpeciem athomam.
126 Ex quo tamen inferre nequaquam licet, Angelicam naturam nullo pacto concipi poſſe vt multiplicabilem, & vt comunem pluribus; aſſerimus enim quod licet de facto, & in re natura Angelica nec ſit,
nec

nec esse possit multiplicabilis in plura Indiuidua solo numero differentia, nihilominus potest illam Intellectus vt multiplicabilem concipere, & vniuersalis denominationem, sufficienti cum fundamento illi tribuere.

127 Nequaquam habent Angeli corpora sibi naturaliter vnita, licet interdum, vt nobis visibiles appareant, aliqua corpora assumant.

128 In his tamen corporibus assumptis, opera vitę prout viuentium propria sunt, nequeunt exercere. Quarè Angelorum locutiones, Comestiones, & alia huiusmodi opera, talia nequeunt propriè appellari, sed his tantum modò similia.

129 Vere, & propriè sunt Angeli in loco, quamuis si comparentur ad corpora, sint in loco æquiuocè.

Non enim Circumscribuntur, aut continentur à loco, nec illi commensurantur vt corpora, sed definitiuè tantum sunt in loco.

130 Sunt quidem in loco per suam substantiam, si ly per suam substantiam dicat rationem subiecti, secus verò si dicat rationem formalem essendi in loco.

131 Sic enim sunt in loco tantum per applicationem suæ virtutis ad operandum.

132 Quę virtus cum finita sit, & determinata finitum etiam exigit locum, atq; determinatum, & sic non potest Angelus esse vbiq;

133 Imò nec in duobus locis adæquatis, benè tamen in duobus inadæquatis, seu partialibus, dummodo tamen loci adæquati quantitatem non excedant, nec tali inter se distantia secernantur, quę sub loci adęquati quantitate, comprehendi non valeat.

134 Si

134 Si enim duo loci partiales, licet minimi ab inuicem distant extrà sphęram actiuitatis alicuius Angeli, non poterit talis Angelus simul esse in illis.

135 Potest autem Angelus pro sua libertate etiam in minori se constituere loco, atq; etiam possibile est ipsum in loco indiuisibili esse.

136 Plures Angeli nequeunt esse in eodem loco formali, ità vt sint ibi per productionem eiusdem effectus, implicat enim eundem effectum pendere à duplici causa totali, & completa: possunt tamen esse in eodem loco per productionem diuersi effectus, vel etiam eiusdem, ad cuius productionem inadęquate, & tanquam duę causę partiales, concurrant.

137 Potest Angelus locum mutare, seu localiter moueri tam continuè, quam discretè, ac proinde etiam non transeundo per medium.

138 Et hic motus localis Angeli, quamquam sit verè, & propriè talis, æquiuocè tamen conuenit in ratione motus, cum motu locali corporis.

139 Hic autem Angeli motus siue continuus sit, siue discretus, nullo pacto fieri potest in instanti, sed necessariò successionem aliquam includit.

140 Intelligere Angeli sicut nec alia eius operatio est eius substantia, sed ab illa realiter distinguitur, quod etiam de quacumque Creatura, verum esse defendimus.

141 Nec similiter potentia intellectiua Angeli est eius substantia.

142 Similiter nec Intelligere, nec potentia Intellectiua Angeli, sunt eius esse.

143 Præter operationem Intellectiuam Angeli nulla repe-

reperitur in Angelo cognitio sensitiua.

144 Ad suam essentiam seu substātiam Intelligendam, non indiget Angelus specie aliqua intelligibili ab eius essentia distincta, sed per hanc ipsam tanquam per speciem intelligibilem, illam cognoscit.

145 Ad intelligenda verò accidentia, indiget specie superaddita si supernaturalia sint, si verò naturalia sint, & sibi proportionata, poterit illa per essentiam suam Intelligere.

146 Pro alijs verò obiectis extra se cognoscendis, necessariò indiget Angelus speciebus superadditis, atq; à sua essentia distinctis.

147 Quas species non à rebus, seu ab obiectis accipit, sed à Deo sibi infusas habet.

148 Licet autem Angelicæ istæ species Angelis insepa rabiliter conueniant, nequaquam tamen propriæ passiones, sed accidentia dumtaxat inseparabilia, sunt appellandæ.

149 Sunt autem species istę in representando vniuersales, ita vt plura indiuidua per eandem speciem, cognoscantur ab Angelo.

150 Imò etiam in Angelis natura superioribus, & perfectionibus, species taliter superiores, & perfectiores reperiuntur, vt per illas ne dum plura Indiuidua, verum etiam plures quidditates, cognoscere valeant.

151 Per has species sibi à Deo inditas, cognoscit Angelus omnes alios Angelos, siue inferiores, siue superiores cognitione perfectissima, imo comprehendit.

152 Deum autem cognoscit quidem, sed non per aliquam

quam

quam speciem ipsum immediatè repræsentantem; est enim impossibile dari huiusmodi speciem Creatam, sed cognoscit ex effectibus Creatis, & præcipuè ex propria essentia tanquam ex principali effectu Dei, ex qua proinde perfectiorem elicit Dei cognitionem, quam ex cęteris Creatis effectibus.

153 Cognoscit etiam res materiales, non solum in communi, sed etiam in singulari, non per species ab ipsis acceptas, sed per species sibi inditas, quæ (vtpotè exemplatæ à Diuinis Idæis) omnia hæc materialia perfectissimè continent, & repræsentant.

154 Futura etiam licet nō in seipsis in propria causa cognoscit certò, & determinatè, si ibi necessario continentur, coniecturaliter verò, & plus, minus vè iuxta maiorem, vel minorem causæ penetrationem si contingenter tantum præ contineantur in causa.

155 Quod tamen de ijs tantum volumus intellectum effectibus, qui vt in plurimum eueniunt, reliquos enim, vt Casuales, & fortuitos, nullo modo cognoscit.

156 Similiter Cogitationes, & secreta Cordium, nullo modo cognoscere potest Angelus, nisi ex effectibus.

157 Mysteria autem Gratiæ cognoscunt quidem Angeli, sed non per cognitionem naturalem, sed tantum per supernaturalem, scilicet per visionem Beatificam, qua eò perfectius huiusmodi mysteria conspiciunt, quo perfectiori Glorię lumine, illustrantur.

158 Imò est etiam probabile quod aliqua huiusmodi mysteria cognoscant etiam extrà Verbū, & in proprio genere per quandā Cognitionē quasi propheticam.

159 In naturali cognitione non procedunt Angeli de potentia ad actum, quantum ad specierum, vel scientiæ acquisitionem in actu primo, benè tamen quantum ad actualem considerationem.

160 Vnico actu non intelligit Angelus plura vt plura, & per diuersas species representata, benè tamen in ratione vnius, vt adunata in eadem ratione formali.

161 Quæ intelligit Angelus, abq; vllo discursu intelligit, atq; in principijs videt etiam conclusiones deducibiles ex illis, & in eis contentas, & ita non indiget discursu, vt inde eas per consequentiam inferat.

162 Similiter propter sui luminis perfectionem non intelligit componendo, & diuidendo vt nos, sed simplici intuitu.

163 In Angelis nequit dari per se falsitas, aut error, benè tamen per accidens, quatenus sine superiori lumine ea intelligere tentant, quæ à supernaturali Dei ordinatione dependent, quod in Dæmonibus tantum, non verò in Sanctis Angelis, contingit.

164 Datur in Angelis duplex cognitio, matutina videlicet, qua Deum, ac Diuinam essentiam, Creaturasq; in illa, vt in suo principio, & Causa, contentas, intuentur, & Vespertina, qua Creaturas extra Verbum, & in seipsis attingunt.

165 Præter Intellectum, datur etiam in Angelis Voluntas, ne dum ab eorum Intellectu, verum etiam ab eorum natura, realiter distincta.

166 Datur etiam in ipsis Dilectio tam naturalis, quam libera.

167 Et vtraq; hac dilectione, libera videlicet, & necessaria, Diligit Angelus se ipsum, & alios Angelos.

168. Deum

168 Deum autem solum necessaria Dilectione, & nullo modo libera, amat.

169 Qui amor erga Deum, ea Dilectione, qua diligiit seipsum, maior est.

DE VLTIMO FINE HOMINIS.

170 IN his Homo actionibus, quæ propriè humanæ sunt, non Hominis tantum, propter aliquem finem, semper operatur.

171 Nec id Homini tantum proprium est, sed Bruta etiam propter finem operantur, licet non vt se ad illum mouentia, vt Homo, sed à superiori agente, & a naturali ad illum propẽsione ducta, & ordinata.

172 Humani, seu morales actus ex fine speciem sortiuntur.

173 Non potest in finibus (vt Angelicus optimè probat Præceptor), in Infinitum procedi: Quarè aliquis vltimus humanæ vitæ finis, assignari, necessariò debet.

174 Qui vltimus finis omnis nostri appetitus, satiatiuus, & completiuus est, ac per consequens, vnicus esse debet, & nullo modo, multiplicari potest.

175 Et propter hunc vltimũ finem, omnia, quæcumq; operatur, vult homo, & ad illum ordinat, sub hac vltimi finis ratione, in comuni consideratum, licet in Inueniendo huiusmodi vltimum finem, in particulari, per sæpè decipiatur.

176 Hunc vltimum finem in particulari, qui est Deus ipse, non potest irrationalis consequi Creatura licet etiã respectu illius, habeat Deus rationẽ vltimi finis.

177 IN Diuitijs, nec naturalibus, nec artificialibus, vt potè ad Hominem ipsum, tanquam ad finem ordinatis, consistere nullo modo potest Hominis Beatitudo.

178 Similiter nec constitui potest in honoribus, nec in fama, nec in potestate, nec in aliquo alio corporis bono, cum ipsum corpus sit propter Animam, & adhuc Anima ipsa non sit summum bonum, sed ad Deum vt summum bonum, & vltimum finem, ordinata.

179 Quapropter nec etiam in voluptatibus, nec in aliquo boni Animæ, nec tandem in aliquo bono creato, eadem Beatitudo, poni potest.

180 Beatitudo ipsa sumpta pro re, in qua consistit est procul dubio quid increatum, si verò sumatur pro talis rei consecutione, est aliquid Creatum in Homine existens.

181 Et hoc Creatum in homine existens, ipsa est Hominis operatio, non sensitiuę, sed Intellectiuę partis.

182 Nec tamen quæcumq; operatio Intellectiuę partis, sed Intellectus tantum, non practici, sed speculatiui.

183 In scientiarum speculatiuarum Consideratione consequitur aliquam Imperfectam Beatitudinem, seu potius aliquam participationem, & similitudinem veræ, & perfectæ Beatitudis, non verò ipsam perfectam, & essentialem Beatitudinem.

184 Quod etiam dicimus de consideratione, se cognitione, qua Homo intelligit Angelos, hæc enim conside-

sideratio, seu cognitio, est similiter Beatitudo Imperfecta, & perfectæ similitudo, & quidem perfectius, quam speculatiuarũ scientiarum consideratio.

185 Consistit ergo vera, & essentialis Hominis Beatitudo in sola visione, seu Intellectione Diuinæ essentiæ.

186 Cum Beatitudo nostra sit perfecta adeptio summi boni, ad illam sequitur necessariò Delectatio.

187 Non principalius cōcurrit in visione Delectatio, cum enim hęc ab illa velut a Causa oriatur, illa principalius concurrit, hæc verò se habet vt Concomitans.

188 Ad essentialem Beatitudinem nullo modo requiritur corpus, benè tamen ad accidentalem.

189 Idem asserimus de perfectionibus corporis, de Societate Amicorum, & de cæteris bonis externis, quę omnia nequaquam requiruntur ad essentialem, & perfectam Beatitudinem, sed solum ad accidentalem, & Imperfectam.

190 Huius Beatitudinis capax est Homo, illamq; procul dubio consequi potest, cum possit Diuinam intueri essentiam.

191 Potest etiam vnus homo, alio Beatior esse, non ita vt perfectiorem, & nobiliorem suæ Beatitudinis consequatur finem, sed quia eundem vltimum finem, seu idem obiectum perfectiori modo consequi potest, & illo frui.

192 In hac quidem vita imperfectam potest Homo cō sequi Beatitudinem, perfectam verò, & essentialem in Patria dumtaxat, obtinere potest.

193 Et primam amictere potest scilicet Imperfectám,

non autem secundam, quæ prorsus inamissibilis est.

194 Similiter etiam primam, seu Imperfectam potest Homo in hac vita per sua naturalia consequi eo modo, quo eas virtutes consequi valet, in quarum operatione, talis Imperfecta Beatitudo consistit; At verò Deum videre per essentiam in quo perfecta consistit Beatitudo nec Homo, nec alia vlla Creatura naturaliter consequi potest.

195 Itaq; hanc perfectam Beatitudinem solus potest conferre Deus, ita vt non possit illam Homo per virtutem superioris Creaturæ adipisci.

196 Ex ordine Diuinę sapientiæ requiruntur ad talem Beatitudinem motus meritoriarum actionum ex parte Hominis, licet posset Deus per suam omnipotentiam, illam etiam sine meritis conferre.

197 Beatitudinem in comuni, appetunt omnes Homines, in particulari verò non omnes sciunt vbi sit talis Beatitudo constituenda, & ita nequeunt illam, nisi in comuni desiderare.

DE VOLVNTARIO, ET INVOLVNTARIO.

198 IN Humanis actibus reperitur procul dubio voluntarium, procedunt enim à principio intrinseco cum cognitione finis, per quod sufficientissimè rationem voluntarij, Sanctissimus Doctor, explicuit.

199 Nec tamen ad rationem voluntarij requiritur necessariò cognitio intellectualis, sed sufficit cognitio sensitiua. Quarè in Brutis, vera reperitur ratio voluntarij, & in hac (licet aliqualiter imperfectè illam parti-

participent) vniuocè cum Hominibus, conueniunt

200 Nec e iam exigitur ad rationem voluntarij libertas, sed optime potest stare sine illa.

201 Potest dari voluntarium absq; omni actu, vt contingit in omissione alicuius, quod quis potest, & tenetur facere, & non facit.

202 optimè explicatur ratio violenti, per hoc, quod sit illud, quod fit à principio extrinseco, passo non conferente vim.

203 Non potest in suis actibus elicitis voluntas violentiam pati, benè tamen in Imperatis.

204 Violentia causat Inuoluntarium simpliciter, metus verò secundum quid tantum. Quarè quæ violenter fiunt, nullo modo voluntaria, sed simpliciter inuoluntaria sunt; quæ verò fiunt ex metu, mixta sunt ex voluntario, & inuoluntario, ita tamen vt sint voluntaria simpliciter, & secundum quid inuoluntaria.

205 Concupiscentia verò nullo modo causat inuoluntarium, nec simpliciter, nec secundum quid.

206 Ignorantia tandem si antecedens sit, causat simpliciter inuoluntarium, si verò sit consequens causat inuoluntarium secundum quid, concomitans autem nullo modo inuoluntarium causat.

DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI.

207 IN Anima Christi præter Diuinam intellectionem Verbi, fuit alia creata intellectio, qua Anima eius rationalis sibi connaturali perfectione decorata est.

208 Et

208 Et hæc creata Christi intellectio, seu scientia triplex fuit. Beata scilicet, infusa, & acquisita.

209 Cum enim Christus Dominus tanquam author salutis multos filios in Gloriam adduxerit, ac per cõsequens eis, Beatam habendi scientiam, causa fuerit, ipsum quoq; eandem habuisse, procul dubio fatendum est.

210 Cum etiam fuerit Christi Anima in potentia ad scientiam infusam, cum hęc illi nequaquam repugnet ne imperfecta dicatur, hęc etiam illi tribuenda est.

211 Tribuenda est ei etiam scientia acquisita, qua intellectus eius agens ad propriam reduceretur actionem, abstrahendo, iuxtà modum homini connaturalem, species à rebus.

212 Nec maiorem illi perfectionem scientię per se acquisibiles, per accidens illi infusę, licet modo supernaturali habitæ, contulissent; non enim hæc supernalitas aliquid posuisset in talibus scientijs, vel in ipso Christo, sed actionem atq; causalitatem supernaturalis agentis, dumtaxat, connotassent.

213 Per Beatam scientiam cognouit quidem Diuinam Christus, essentiam, ipsam tamen per quamcumq; potentiam comprehendere nequiuit.

214 Tanta autem claritate Diuinam intuetur Anima Christi essentiam vt qualcunq; Creaturas tam præsentes, quam etiam prętęritas, & futuras in ea conspiciat. Sicq; omnia, quæ secundum quodcumq; tempus sunt, vel erunt, vel fuerunt, facta, vel dicta vel cogitata, illi, vt potè omnium Iudici, apertissimè nota sunt.

215 Imò

215 Imò ea etiam perfectè cognouit, quę licet nunquã habuerint, habeant, vel habitura sint esse, possunt tam per Creatam potentiam habere illud atq; adeo sunt in potentia Creaturæ.

216 Ea verò, quę sunt in potentia solius Dei nulla Creatura cognoscere potest omnia, sic enim Diuinam comprehenderet essentiam.

Nihilominus ex his etiam cognoscit Christus aliqua in Verbo, & potest etiam cognoscere singula disiunctiuè, sed non omnia collectiuè.

217 Cognoscit etiam infinita entia in actu sed non simpliciter talia, sed tantum talia secundum quid: idest cognoscit infinita accidentia, non verò infinitas substantias.

218 Diuinam tandem essentiam per hanc Beatam sciẽtiam clarius quacunque alia Creatura, cum clariori sit præditus lumine, intuetur.

219 Per scientiam verò inditam, seu infusam, ea omnia cognouit Christus, quæ naturalis humani Intellectus attingere valet perspicacia.

220 Imò ad ea etiam se valet extendere, quę ad naturale Angelici Intellectus obiectum pertinent.

221 Ex his verò, quæ per Diuinam reuelationem hominibus innotescunt, solam excipimus Diuinam essentiam, quam non per hanc scientiam, sed tantum per Beatã cognoscit. Reliqua verò omnia cognouit

222 Quarè cognouit per hanc scientiam in primis omnes actus liberos tam hominum, quam Angelorum, seu cogitationes, & arcana cordium.

223 Cognouit etiam futura omnia contingentia, etiam totaliter dependentia a causis liberis.

224 Entia quoq; supernaturalia creata clarissimè cognouit per hanc scientiam, vt fidem, Gratiam &c.

225 Quæ omnia tam naturalia videlicet, quam supernaturalia, ita perfectè cognouit, vt vere, & simpliciter comprehenderet illa.

226 Diuinam verò essentiam, licet nullo modo potuerit per hanc scientiam quidditatiuè cognoscere, clarè tamen, & euidenter vidit illam quo ad an est.

227 Licet hęc scientia fuerit à corpore, & sensibus independens, illa tamen vti potuit conuertendo se ad phantasmata.

228 Quod tamen nō ex necessitate, sed ex libertate dumtaxat illi competebat, quapropter etiam sine tali conuersione intelligere valebat.

229. Similiter etiam liberum, illi fuit intelligere per hanc scientiam cum discursu, & sine illo.

230 Ex quibus per hanc scientiam cognitis obiectis optime colligitur esse superiorem scientia Angelorum, & quo ad multitudinem scitorum, & quo ad certitudinem scientiæ, quamuis excedatur ab illa in ratione subiecti, cum Angelica natura sit humana perfectior.

231 Eius species cum nulli Creato intellectui connaturales esse valeant, supernaturales quo ad substantiam, appellandas esse, defendimus.

232 Pręter has species importat hæc scientia aliquem habitum ab illis distinctum, quo tanquam per qualitatem quandam permanentem ordinis supernaturalis, proportionatus redderetur per modum potentiæ ad eliciendum huius scientię actum.

233 Qui habitus à lumine Glorię realiter est distinctus.

234 Vtrum Christus ab actu huius scientię cessauerit aliquando, an verò fuerit semper in actuali cognitione, nil aliud certi habemus, nisi quod actum istũ incipere potuit à principio suæ Conceptionis antequam corpus esset perfectè organizatum, & huiusmodi actum potuit semper continuare, & potuit etiam aliquando intermittere, & discontinuare pro vt sibi placebat.

235 Noc fuit hæc scientia vna tantum, sed in plures diuisa.

236 Similiter etiam species plures & inter se diuersę fuerunt pro diuersitate naturarum, quas repræsentare debebant.

237 Quarè, minus vniuersales speciebus Angelicis fuisse, asserendum, censemus.

238 Per scientiam tandem acquisitam illa cognouit Christus Dominus, quę per actionem intellectus agentis attingi valent.

239 Et hoc iuxta modum Homini connaturalem, paulatim videlicet, & successiuè in hac scientia proficiendo prout illi diuersa obiecta sensibilia, ex quibus species abstraheret, offerebantur.

240 Quapropter hanc scientiam, nec ab Hominibus accepit, nec ab Angelis, sed à rebus ipsis.

Disputabuntur publicè Florentiæ in Ecclesia S. Mariæ Nouellæ D. Maii 1647. Satisfaciet obiectis F. Ioannes Dominicus Leonius, qui supra, Assistente sibi Adm. Reu. P. Mag. F. Angelo Boncompagno, Generalis Prouinciæ Studii, Regente meritissimo.

